



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XLIII. Peccatum mortale tollere consolationem, quam Deus dat in huius vitæ tribulationibus, & ærumnis, vt cum animæ fructu tolerari possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

Peccatum mortale tollere consolationem,
quam Deus dat in huius vite tribula-
tionibus, & aerumnis, ut cum ani-
ma fructu tolerari pos-
sint.

C A P. XLIII.

POSTquam per Adami inobedien-
tiam peccatum, & mors in mun-
dum intrauit, totum genus humanum
miserijs opertum, varijsque tribula-
tionibus, & aduersitatibus in corpore,
& in animâ repletum est; quod signifi-
cavit S Iob, dicens: *a Homo natus de
muliere, breui viuens tempore, repletur
multis miserijs.* Et quamuis alij plus,
alij minus miseriarum patiantur, &
alij plus spiritualium, quæ sunt contra
animam, alij plus corporalium, quæ
sunt contra humanam vitam, patian-
tur, nemo tamen hominum, neque bo-
nus, neque malus est, qui non multas
alterutrius generis tribulationes pa-
tiatur. Id Dauid testatur, de malis di-

X 7

cens:

a Iob 14. 1.

cens : *a* *Multa sunt flagella peccatorum.*
 Et de bonis : *b* *Multa sunt tribulationes iustorum.* In his tribulationibus iusti; qui pœnitentiam de suis peccatis egerunt, Deiq̃ue legem diligenter obseruant, magnã consolationem, ac robur habent, adeò vt non concidant animis, nec deficient, nec tristitiã absorbeantur, sed confortati, animati, consolatiq̃ue viuant. Ita fatetur Dauid, Deo in personã hominis iusti dicens : *c* *Secundùm multitudinem dolorum, quos in corde meo sentiebam, consolationes pietatis tuæ latificauerunt, & recreauerunt animam meam.* Pro dolorum mensurã erant consolationes, & pro tribulationum mensurã erant delitiã, quas à benignissimã manu tua accipiebam. Nascitur hæc iusti consolatio ex eo, quòd cognoscat, sentiatq̃ue interiùs, Deum, de cuius manu omnes ei tribulationes, ac pœnã veniunt, esse suum Patrem, & Patrem infinitæ misericordiæ, qui ipsum amore
 im.

a Ps. 31. 10. *b* Ps. 33. 20. *c* Ps. 93. 19.

De gravitate peccati mortalis. 485

immenso amat, ipsique tribulationes
mittit in bonum animæ eius, hoc est,
ad purgandum ipsum à peccatis, quæ
in hac vitâ commisit, & ad augendas
in eo virtutes, ac merita regni celo-
rum. Ita S. Gaudentius Episcopus ait: *a*
Pudicè conuersantem ac iustè in hac vitâ,
idcirco Dominus nunc & tribulationum,
& agritudinum flagello castigat, ne in illo
aliquid sordium futurus ignis inueniat;
sed ut per exiguas plagas breuissimi tem-
poris, ab omnibus purgatus maculis, secu-
rior ad æternam migrare requiem merea-
tur. De hac veritate cum iustus ad-
modum certus sit, consolationem in
tribulationibus habet, laudat in eis
Deum, & confitetur misericordiam,
quâ per id Deus erga ipsum vtitur, di-
cens cum Dauid: *b Castigans castiga-*
uit grauitè me Dominus: sed morti non
tradidit me. Non permisit, vt in mor-
tem culpæ, nec æternæ damnationis
inciderem, sed vitam corporis, & ani-
mæ

a D. Gaud. in præfat. tom. 2. bibl.

b Ps. 117. 18.

mæ mihi conseruauit. Ex hoc, quod iustus persuasum habet, videlicet tribulationes sibi de piâ manu Dei in bonum animæ suæ venire, procedit permagna quædam, valdeque viva spes, se saluatum iri, & Deo æternum esse fruiturum. Atque hæc spes ipsum lætificat, consolatur, animosque ei facit ad laborandum, & aduersa quælibet propter Deum patienda. Sic vnus ex Machabæis adolescentibus fassus est, qui cum in medijs esset tormentis, hoc est, summæ manus, pedesque ei præscinderentur, & in ignem conijcerentur, dixit: *a E cælo ista membra possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea integra, gloriosaque recepturum spero.* Nasctur quoque hæc consolatio, quam iusti in tribulationibus habent, ex diuino quodam auxilio, ac succursu, quem illis Deus secretò suggerit, quo eos vel à tribulatione liberat, vel ad illam faciliùs, ac suauius ferendam refrigerat, atque

a 2. Matth. 7. 11.

atque confortat. Et cum iusti in hoc diuino fauore tam specialem, tamque pio Patri propriam curam, quam Deus pro ipsis gerit, sentiant, magnâ in animabus suis consolatione perfunduntur. Hoc auxilium promittit ipse Dominus fideli homini, obediendi verbo suo, dicens: *a Inuoca me in die tribulationis, ad me confuge, fauorem à me pete: & eruam te, vel auferendo à te malum, quod pateris, vel dando tibi vires ad perferendum illud cum magno animæ tuæ emolumento, citraque vllum eius damnum; & sic honorificabis me: nam gloria mea est, quod in me confidas, & auxilium in tribulatione à me petas, mihi que idcirco gratias agas. Sic omnes serui Dei experti sunt, qui in suis tribulationibus ad ipsum pro remedio confugerunt; quemadmodum fatetur Dauid dicens: *b Cum inuocarem, exaudiuit me Deus: & cum in tribulatione, afflictioneque, & angustijs essem, tu, Domine, dilatasti cor mihi,**

a Ps. 49. 15. b Ps. 4. 1.

mibi, eripiens me ex angustia, in qua
eram, & dans mihi lætitiã, & conso-
lationem, quã cor meum dilatatum
est. Idemque factus est S. Paulus, cum
dixit: *a Repletus sum consolatione: su-
perabundo gaudio in omni tribulatione no-
strã.* Et vt constaret, Deum non ipsi
soli hunc fauorem tribuere, sed om-
nibus Christi seruis communem esse,
ait: *b Sicut crescunt, & abundant tri-
bulationes, quas propter Christum pa-
timur, & in quibus Christum ipsum
imitamur, ita & per eiusdem Christi
merita abundant consolationes nobis à
Deo datæ.* Ingens hoc Dei beneficium
est, in tribulationibus consolandi: hac
enim diuinã consolatione seruus Dei
corroboratus tolerat tribulationes
non solum cum ordinariã patientiã,
sed etiam cum singulari æquitate ani-
mi, & voluntatis promptitudine; ad-
eoque plurimum meretur, & magnum
gratiæ, æternæque gloriæ augmentum
acquirat. Est insuper ille in hoc ma-
gnus

a 2. Cor. 7. 4. b 2. Cor. 1. 5.

De gravitate peccati mortalis. 489

gnum instrumentum gloriae Dei : cum enim homo naturâ suâ tam debilis, & ad magnas poenas ob finem spiritua- lem tolerandas tam inhabilis sit, quòd cernitur cum gustu, consolationeque magnas tribulationes, ad conforman- dum se cum Dei voluntate, & in bo- num animæ suæ perferre, clarum te- stimonium est infinitæ bonitatis, ac potentiae Dei, qui operatur in ipso, mouetque omnes ad laudandum, & glorificandum Deum, qui tali erga fi- lios Adam misericordiâ utitur; & ho- mines in eum confidere discunt. De- clarat hoc S. Paulus, dicens: *a Habemus thesaurum gratiæ, donorumque diuinorum in vasis fictilibus, vt conser- uantibus nobis eum in medio tot ad- uersitatum, manifestetur altissima po- tentia Dei nos adiuuantis: benè enim apparet, non esse virtutem, nec valo- rem ex nobis prodeuntem, qui tam de- biles, & fragiles sumus, sed esse opus Dei, qui est omnipotens. Præterea hac*
tole-

a 2. Cor. 4. 7.

tolerantiâ homo fidelis dat magnam suâ prædestinationis testimonium. Si quidem via cæli sunt tribulationes, & non quæcunque tribulationes (nam, ut diximus, tribulationes bonis, malisq̃ue communes sunt) sed tribulationes patienter toleratæ. Atque ita fidelem aliquem hominem res graues, valdeq̃ue molestas cum patientiâ, & maximè cum consolatione sufferre, magnum signum, mira q̃ue probatio est, ipsum peruenturum in cælum, & ad id à Deo electum, ac prædestinatum esse. Significauit hoc Angelus Tobix, dicens: *a Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Erat Tobias Deo acceptus secundum præsentem iustitiam, quia vir iustus erat, & secundum æternam electionem, quia erat prædestinatus; adeoque voluit Angelus dicere: Quia eras bonus, & ad cælum electus, necesse fuit, ut Deus tibi immitteret tribulationes, quibus exerceres patientiam, iresq̃ue

in

a Tob. 12. 13.

in cælum eâ viâ, quâ Deus electos suos
illuc ducit. Hinc apparet sapientum
mundi ignorantia, & sapientia Chri-
stiana; quemadmodum obseruat S.
Gaudentius, dicens: *a Nonnulli pru-
dentium seculi, sapientia celestis ignari,
dum volunt fortuna astruere vniuersa,
qua creator omnium Deus iusto modera-
mine prouidenter exercet, ita loquuntur:
si Dei prouidentia gubernaretur hic mun-
dus, nunquam promiscuè bonos, & malos,
tribulationum, dolorum, erumnarum atq;
egritudinum plagæ conficerent; quia diui-
na equitatis non esset, disparibus meritis
plagas irrogare consimiles. Sed celestis
sapientia hunc errorem manifestat,
docens nos, tametsi tribulationes bo-
nis, & malis communes sunt, tamen
quibusdam mortiferas esse, quibusdam
valde salutares. Illis, qui inde nil pro-
ficiunt, quod eas non patienter ferant,
nec peccata sua corrigant, sunt morti-
feræ, quia sunt ad pœnam improbita-
tis ipsorum, & principium eorundem
dam-*

a D. Gaud. ubi suprâ.

damnationis. At ijs, qui ritè illas tolerant, perquam sunt salutare, quia per eas peccata sua emendant, animas suas mundant, & gloriæ merita augent. Quemadmodum *ferri acies vel ad iteritum irrogatur, quando pœnam exigis puniendi criminis qualitas; vel ad curam proficit, cum sanandi gratiâ medicinaliter adhibetur: Ita Deus easdem plagarum species pro qualitatibus temperat meritorum; quosdam quidem puniens, quosdam vero vel emendans à vitijs; vel emundans, vel certè ad ampliorem gloriam promovens.* Ita S. Gaudentius. Hæc consolatio in tribulationibus, quæ tanti momenti, utilitatisque est, & tam mirabiles effectus in iustis, pœnitentibusque operatur, per peccatum mortale tollitur. Nam qui in mortali peccato est, cum non habeat filiale cor erga Deum, non sentit beneficium, ac misericordiam, quam ei Deus, tanquã pijsimus Pater per tribulationem exhibet; nec habet spem viuã, quæ ipsum ad patiendum animet; & cum sit Dei

ini-

inimicus, non accipit illud auxilium, ac robor, quod Deus amicis suis in tribulationibus præstat. Atque hinc fit, ut in tribulationibus, & aduersitatibus animum despondeat, valdè inordinatè contristetur, & in magnas impatientias, amaritudinesque incidat. Et si tribulationes immediatè à Deo, ac per causas naturales veniant, ut sunt infirmitates, iacturæ rei familiaris, & charorum mortes, queritur de Deo, contraque diuinam eius prouidentiam murmurat. Sin per homines veniant, ut vulnera, iniuriæ, latrocinia, aliæque persecutiones, odium, & vindictæ desiderium contra proximos concipit. Huius effectus, quem tribulatio in malis operatur, multa exempla in diuinâ Scripturâ extant. *a* Cum proficiscentur filij Israël per desertum, aliquas tribulationes sitis, lassitudinis, tædij viæ, & periculi ab hostibus habuerunt; & quoniam multi eorum in peccato mortali erant, adeò malè illas acce-

a Exod. 16, 2. & 17, 2.

acceperunt, vt conquesti sint, murmu-
 rauerintque contra Deum, nec eius
 voluntati obedire voluerint, sed ad-
 uersus ipsum, & Moysen rebellarint.
 Rex Asa *agrotauit dolore pedum vehe-*
mentissimo; a & quia vir malus erat,
 pessimè illam infirmitatem accepit,
 diffusus Deo, & in medicorum arte
 confusus, vnde malam mortem obiit.
 Achitophel grandem ignominiam ac-
 cepit: cum enim prudentissimus, &
 maximæ authoritatis esset, noluit Ab-
 salom eius consilium sequi, idque con-
 temptit: & quia vir ille malus, ac su-
 perbus erat, tam impatienter hanc tri-
 bulationem tulit, vt laqueo sibi mor-
 tem conciuerit. *b* Pharisei, & princi-
 pes Israëlis, videntes se à S. Stephano
 reprehendi, & confundi, cum mali,
 ambitiosi que essent, tanto cum dolo-
 re, ac tristitiâ hoc dedecus acceperunt,
 vt rumperentur; *dissecarenturque cordibus*
suis, & tam atroci in Sanctum odio ex-
 arserunt, vt eum vesani statim lapidi-
 bus

a 2. Par. 16. 12. b 2. Reg. 17. 23.

bus obruerint. *a* Sic ij, qui in peccato mortali existunt, quia deest ipsis consolatio, quam Deus iustis communicat, tribulationes tanto cum animarum suarum damno accipiunt, ut iam nunc in hac vitâ sentire incipiant tormenta, quæ in Inferno per omnem æternitatem sunt passuri. Ingens hæc iactura est, quæ incurritur per peccatum mortale, priuans consolatione in tribulationibus; & permagna sunt mala, damnâque temporalia, & æterna, quæ ex hac iacturâ consequuntur. Studemus igitur per pœnitentiam peccatum, quod tot malorum causa est, de corde nostro proscribere; ut per gratiam iustificati, & in bonâ vitâ perseverantes, à Deo consolemur in tribulationibus, magnûmque ex ijs fructum referamus, & in nobis impleatur, quod de omnibus Sanctis testatur Sancta Iudith, dicens: *b Omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt, Deoque in ijs fideles extiterunt,*

Y

runt,

a Act. 7, 58, b Iudith, 8, 23,

runt, conformando se cum diuinâ eius voluntate, laudando ipsum, gratiasque ei propter illas agendo.

*Per peccatum mortale consolationes, quas
Deus iustis tempore mortis dare
solet, amitti.*

CAP. XLIV.

TAmetsi Deus in omnibus magnis vitæ huius aduersitatibus, ac tribulationibus Fideles, qui ipsius legem obseruant, consolatur, atque confortat, vt diximus; id tamen abundantius, & cum specialiore prouidentia facit tempore mortis. Nam fidelis amicus tempore maioris necessitatis magis amicitiam suam amico ostendit, fauendo ei, ipsumque consolando. Ita Sapiens, *omni tempore, inquit, diligit corde, & operibus, qui amicus est, & in angustijs, grauique afflictione cognoscitur, & comprobatur ille, qui tam specialis est amicus, vt fratris locum, opinionemque sustineat.* Cum ergo Deus
a. *Prou. 17. 17.* homi-